

vel moralem contingentiam. Quamvis enim mancipia quæ sunt in agro, vel postea emuntur, ordinarie non possint esse testes in tali crimine, nihilominus fit absoluta prohibitio ne illo colore subducantur qui possunt esse testes, fingendo fuisse in agro, vel absentes, vel postea emptos: nam qui ordinarie in agro habitant potuerunt inveniri in domo præsentibus tempore delicti, et sic potest ratio ad omnes extendi. Quod cum proportionem applicari potest ad alias leges, ut non facile absoluta earum verba ex ratione limitentur; hoc enim servandum esse, optime ex illa l. *Prosperit* probatur.

8. Hoc etiam suadet ratio in objectione facta: nam si ratio legis contineat intrinsecum motivum virtutis vel vitii cujus intuitu actus præcipitur aut prohibetur, sine dubio lex non comprehendet casum in quo talis ratio inventa non fuerit, quia est adæquata; constituit enim lex materiam legis, et non loquitur extra propriam materiam, et ita in illa ratio dici potest virtus legis, non per modum principii efficientis aut formæ intrinsecæ, sed per modum proprii objecti et materiæ, quæ in suo genere est causa legis et necessaria ad illam. Si vero ratio legis contineat finem extrinsecum, sic vel non erit adæquata ratio, et sic non procedet contra regulam, vel certe si accipiatur secundum omnem habitudinem quam participare potest in ordine ad majorem cautelam, securitatem vel utilitatem legis, sic non poterunt extendi verba legis ultra rationes in tota hac latitudine sumptas, quia jam voluntas legis omnino ratione careret, quod præsumi non potest. Et ita etiam patet facile responsio ad primam confirmationem; concedo enim servari aliquo modo commutatam proportionem inter extensionem et restrictionem per rationem legis, ut satis declaratum est. Tamen in hoc est aliqua diversitas, quod voluntas potest etiam prudenter non velle omnia in quibus eadem ratio militat, quia non semper expedit quando alias non sunt necessario connexa; non potest autem voluntas aliquid prudenter velle sine aliqua ratione, et ideo ubi constiterit rationem legis esse adæquatam, non est verisimile extra illam extendi mentem legislatoris.

9. Ad ultimam confirmationem, Pan., in d. cap. *Quia in insulis*, sentit etiam esse legem restringendam pro omnibus casibus in quibus cessat ratio legis, prout in lege exprimitur; ut in illo textu, quia pro ratione redditur, *Quia in insulis dura est congregatio monachorum*, ait decisionem ejus non habere locum in insulis in quibus non fuerit dura congregatio mo-

nachorum. Sed quidquid sit de illo textu particulari (cujus decisio, ut credo, magis pendet ex significato illius vocis *insulæ*, quale sit), generaliter loquendo, non potest admitti doctrina, nisi intelligatur de cessatione rationis contraria, et quæ tollat objectum legis, ut infra dicetur. Respondeo igitur negando sequelam intellectam de cessatione rationis legis mere negative et in particulari. Et ratio est, quia, licet ratio sic cesset quasi in actu, nihilominus potuit movere ad prohibendum actum, quia de se erat obnoxius illi rationi, et ita ille actus fuit absolute comprehensus sub ratione legis etiamsi postea in illo cessaverit. Et si recte res consideratur, tunc non omnino cessat ratio legis. Quod in dicto capite magis exponemus.

10. *Lex ex subjecta materia aliquando restringenda.* — Dico tertio, legem restringi aliquando ex subjecta materia, præsertim per comparisonem ad aliam legem. Sub hac assertionem breviter comprehendo varios modos restringendi leges qui ab auctoribus traduntur. Unus ex subjecta materia, quia verba legis juxta subjectam materiam intelligenda sunt et ideo etiam secundum illam coarctari possunt. Exemplum sumitur ex l. *Adigere*, ff. de Jur. patr., ubi prohibetur patronus ne libertum jurejurando cogat ne uxorem ducat; et nihilominus dicitur inferius qui tale juramentum exigeret a liberto eunucho non peccaturum contra legem; nam juxta materiam subjectam lex loquitur de libertis qui possint liberos procreare. Verum est optime posse restrictionem illam reduci ad rationem legis; quia fere semper hæc restrictio ex materia est conjuncta cum ratione, et ideo nihil amplius de illa dicere necesse est.

11. Aliquando vero fit restrictio legis generaliter loquentis, ut locum non habeat in casu aliquo speciali, propter speciales circumstantias vel prærogativas rerum aut personarum. Quia juxta generalem regulam juris, in *generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset in specie verisimiliter concessurus*, 81, n. 6, et in c. *Si Episcopis*, de Pœnit. et remis., in 6. Eodem enim modo in præsentem dicere possumus, in generali prohibitione, vel præcepto legis non venire ea quæ princeps non esset in specie verisimiliter præcepturus; quia sicut concessio, ita et lex ex voluntate pendet. Hæc autem restrictio dupliciter fieri potest: uno modo ex speciali jure determinante ut tales personæ non veniant sub generali clausula, ut in c. *Quia periculosum*, de Sent. excom., in 6; et tunc est clara ratio et restrictio, so-

lumque verba legis specialis expendenda sunt et servanda. Contingere item hoc potest, quia in speciali casu est aliter per legem statutum aut privilegium dispositum, et generalis lex contraria, illis non derogat, juxta regulam juris quod generi per speciem non derogatur. Et de hoc modo specialiter dicturi sumus tractando de legum correctione et derogatione.

12. Denique contingere potest illa restrictio sine speciali jure, solum ex conjecturata mente legislatoris, verisimiliter applicando regulam illorum canonum, non comprehendi sub generali lege ea quæ in specie non esset quis voliturus; et sic est difficilis restrictio et inter jurisperitos multum controversa, ut videre licet in Ant. Gab., l. 6, tit. de Leg., cons. 1, ubi refert contrarias opiniones et earum auctores. Illa tamen communior est quæ affirmat etiam hoc modo posse hanc restrictionem fieri, quia generalis illa præsumptio, quod nemo in generali sermone comprehendit id quod in specie non esset voliturus in jure fundata est et in ratione naturali, quia illa præsumptio fundatur in defectu voluntatis quæ præsumitur ex incogitantia talium circumstantiarum. Sub hac autem regula fieri potest applicatio ad casum sub lege contentum, arbitrio prudentis de illo judicando. Neque potest in hoc certior regula constitui, quia sine dubio usus hujus restrictionis in particulari difficilis est. Unde Socin., in Reg. juris 284, ponens regulam quod lex generaliter loquens generaliter est intelligenda, 55 limitationes ponit quæ ad hoc genus restrictionis pertinent, et in eo videri possunt, et in t. 2 Regular., verbo *Lex*. Hic vero statim occurrebat dicendum de casu dubio, de quo in capite sequenti tractabimus.

CAPUT VI.

UTRUM INTERDUM CESSAT OBLIGATIO LEGIS IN PARTICULARI CONTRA VERBA LEGIS, ETIAMSIPER PRINCIPEM NON TOLLATUR.

1. *Duplex modus mutationis in lege.* — *Alia divisio mutationis legis.* — Hactenus explicuimus interpretationem legis humanæ quoad generalem sensum ejus, quo obligationem inducit; nunc dicendum est de mutationibus quæ in ea contingunt, propter quas desinit obligare. Duplex autem modus mutationis potest in lege intelligi, unus veluti ex se et ab intrinseco ex defectu alicujus causæ conservantis, vel alicujus conditionis necessariæ ad obligationem ejus; alius modus est ab extrinseco per actio-

nem superioris agentis, facientis in lege mutationem. Nam sicut lex humana voluntate introducta est, ita per similem voluntatem potest mutari. Unde prior mutatio contingit quando, perseverante eadem principis voluntate, propter mutationem aliarum rerum lex desinit esse vel obligare: posterior vero e contrario fit quando, stantibus omnibus aliis ad obligationem legis requisitis, per voluntatem principis lex mutatur; et prior generaliter dici potest cessatio, posterior vero ablatio legis vocari potest. Et utraque mutatio potest dupliciter accidere, scilicet, vel partialiter in aliquo actu, vel occasione, aut tempore, vel persona particulari, perseverante lege in generali: vel totaliter per ablationem totius legis; et ita quatuor resultant mutationes, scilicet, cessatio legis partialis, quæ dici potest exceptio a lege; vel totalis, et dicitur absolute et simpliciter cessatio; vel ablatio partialis, quæ generaliter comprehenditur nomine dispensationis, et solet etiam dici derogatio; et totalis ablatio, quæ dicitur revocatio, seu abrogatio legis. De his ergo quatuor mutationum generibus sigillatim dicendum est; et prius de cessatione partiali, deinde de totali, postea vero eodem ordine de utraque ablatione.

2. *Sensus questionis aperitur.* — Primum igitur omnium quæremus an contingat cessatio legis universalis in particulari eventu, etiamsi ab alio non auferatur ejus obligatio. Quæ quæstio coincidit cum illa quam sub alio titulo proponit D. Thomas 1. 2, q. 96, a. 6, scilicet, an liceat subdito interdum contra verba legis agere: constat enim hoc non posse licere durante obligatione legis, quia tunc non potest subditus ab ea discordare sua auctoritate, sed ei parere tenetur; ergo si interdum licet, est quia cessat obligatio ejus; est ergo una et eadem illa quæstio. Et similiter est eadem cum quæstione tractata a D. Thoma 2. 2, q. 120, quando liceat uti epikia in usu seu executione legum; ut autem intelligatur sensus quæstionis, et distinguatur ab aliis quæ in superioribus capitibus tractata sunt, et non confundatur epikia cum generali interpretatione legum, adverto aliud esse inquirere de sensu verborum an universalis sint, et hos vel illos casus comprehendant, seu an in hac vel illa significatione accipiantur, et hoc pertinet ad generalem doctrinam datam capitibus præcedentibus, et magis ex professo ad jurisprudentiam. Non vero spectat hoc ad epikiam, quia epikia (ut Aristoteles dixit) est emendatio legis propter universale: ibi autem non agitur de

emendatione legis, sed de ejus sensu; nec supponitur universalitas legis, sed inquiritur qualis et quanta sit. Aliud ergo est, supposito sensu legis quoad verborum universalitatem, et quod ex vi suæ significationis universalis, prout in lege usurpatur, hunc actum comprehendat; nihilominus in particulari eventu propter circumstantias occurrentes cesset obligatio legis circa talem actum, quia pro tunc non potuit cadere sub potestatem, vel non cecidit sub voluntatem legislatoris, sed ab illa excipitur; et hæc exceptio est emendatio legis quæ per epiikiam fieri dicitur, et in illo sensu tractatur præsens quæstio.

3. Videtur ergo nunquam posse hoc modo cessare obligatio legis universalis in casu particulari. Primo, quia si id posset accidere, maxime cessante ratione legis in aliquo particulari eventu; sed tunc etiam non licet: ergo nunquam. Major patet, quia duo tantum sunt in lege, ex quibus tertium, id est, voluntatem legislatoris ac subinde obligationem legis vel ejus cessationem cognoscere valeamus, scilicet, verba et ratio, ut ex hæcenus dictis constat; sed verba de se non cessant in casu de quo tractamus, imo illum comprehendunt, alias non ageretur in illo contra verba legis: ergo solum superest ratio ut, ex ejus cessatione, legis cessatio in particulari oriatur: at hoc verum non est, quia, ut supra dixi, voluntas legislatoris potest esse universalior quam ratio ejus, imo interdum quoad nos omnino cessat ratio, quia non cognoscitur, et nihilominus lex suam vim retinet: ergo. Secundo, argumentari possumus quia alias posset subditus, sua auctoritate interpretando legem, illam non servare, quod videtur esse contra legem 1, c. de Legib., ubi dicitur ad solum principem pertinere declarare an in aliquo casu lex servanda non sit propter æquitatem, unde multi doctores hanc interpretationem dispensationem vocant; ergo sine illa lex nunquam per se cessat. Tertio, argumentor testimonio Glossarum et jurisperitorum qui ita sentire videntur. Nam Glossa, in cap. *Post translationem*, de Renuntiatis, verb. *Cessante*, dicit, si jus commune statuitur ex causa, non cessare licet cesset causa, nisi aliunde in ipso jure sit expressum. Idem sentit Glossa in l. *Non dubium*, c. de Legib., verbo *Amplexus*, dicens non licere agere contra verba scripta legis propter mentem legislatoris, nisi hæc mens in alia lege sit in scriptis redacta, et citat Placent. pro illa sententia, et l. *Prosperit*, ff. Qui et a quib., cum aliis similibus; et in eadem sententiam quamplures

refert Tiraq. in tr. *Cessante causa*, n. 165 et sequentibus.

4. Nihilominus res certa est interdum cessare obligationem legis in particulari, etiamsi verba legis illum casum comprehendere videantur, et in nulla alia lege exceptus sit nec a principe sit in lege dispensatum. Ita docet D. Thomas, d. q. 96, art. 6, et 2. 2, q. 60, art. 5, ad 2, et quæst. 120, per totam; et his locis Cajet. et alii expositores, et Soto, l. 1 de Just., quæst. 6, art. 8. Idem supponunt tanquam manifestum theologi in 3, d. 37; Scot., Gabr. et alii. Est etiam apud juristas receptissimum, ut late refert supra Tiraq. a n. 130. Hanc enim veritatem tanquam evidentem lumine naturæ tradit Arist., 5 Ethic., cap. 10, ubi hac ratione inter partes justitiæ ponit æquitatem, quam definit esse *emendationem legis ea ex parte qua deficit propter universale*. In quibus verbis comprehendit rationem nostræ assertionis, quam paulo superius latius explicuerat, dicens necessarium esse ut lex humana interdum desinat obligare in particulari aliquo eventu, quia lex universaliter fertur, et fieri non potest ut universalis dispositio legis humanæ in omnibus particularibus ita sit recta quin aliquando deficiat; quia res humanæ circa quas humanæ leges versantur, innumeris subsunt mutationibus et casibus contingentibus quos nec legislator humanus semper prævidere potest, nec, si posset, illos omnes posset convenienter in particulari excipere, quia infinitam confusionem et prolixitatem in legibus induceret, quod esset multo majus incommodum; ergo necesse est ut lex humana generaliter lata in aliquibus casibus non obliget propter mutationem rerum in eis contingentem. Neque inde fit, ait Aristoteles, legem non esse rectam, quin potius recta non esset si in talibus casibus obligaret; et ad ejus rectitudinem sufficit *quod acceperit id quod plerumque accidit*, ut dicitur etiam ff. de Leg., l. 3, et seq.: *Defectus ergo*, ait idem philosophus, *non est in lege neque in legislatore, sed in natura*, id est, in materia mutabili, nec potuit legislator aut lex totam contingentem mutabilitatem distincte explicare propter rationem explicatam. Et ideo ex natura rei in lege humana subintelligitur illa conditio, vel exceptio, licet non explicetur distincte, quia alias non esset lex justa et rationabilis. Ergo ex ipsa justitia legis humanæ, considerata naturali conditione materiæ in qua versatur, sequitur necessario ut ejus obligatio aliquando in particulari cesset, non per extrinsecam abla-

tionem, sed ex sola materiæ seu rerum mutatione.

5. *Epiikia*. — Atque propter hanc legum humanarum contingentiam posuit Aristoteles supra specialem virtutem, seu partem justitiæ quam epiikiam appellavit, et a multis Latinis vocatur æquitas; nam, licet hæc vox interdum pro justitia, interdum pro animi moderatione, et aliis etiam modis sumatur, tamen aliquando condistinguitur a jure utique scripto et riguroso, ut explicavi supra l. 1, cap. 2, et sic idem est quod epiikia, vel parum ab illa differt; et ita etiam juristæ sæpe de æquitate loquuntur, quam Bartolus in l. 1, cod. de Leg. in fine, *convenientiam quamdam, seu benignitatem juris*, appellavit. Panor. vero, in c. ult. de Transact., n. 6, cum Speculatore et Joan. Andr., dicit esse *justitiam dulcore misericordie temperatam*. Est autem considerandum (ut hoc obiter explicemus), in hac æquitate præstanda, concurrere et judicium intellectus proferentis sententiam, hic et nunc non obligare legem, etiamsi universaliter loquatur, et actum voluntatis parentis huic judicio, et operantis contra verba legis. Uterque ergo in suo ordine est actus virtutis, probabiliterque existimo propter illos non multiplicari virtutes, seu non esse necessarium addere aliquam specialem virtutem. Nam prior actus, si sit in principe seu superiore interpretante legem, erit actus prudentiæ regalis, vel politicæ; si vero sit in ipsomet subdito, erit judicium communis prudentiæ, præsupponens regulariter generalia principia juris naturalis vel etiam humani, quatenus ab eis tale judicium in particulari pendet. Quod judicium in omni materia prudentiæ necessarium est, illudque (ut opinior) Arist., 6 Ethic., c. 11, *sententiam* appellavit, græce *gnomi*. Et in præsentia materia cum proportione invenitur, nec habet specialem difficultatem vel rationem propter quam proprium habitum postulet, distinctum ab eo quo in aliis materiis virtutum prudentia sententiam profert. An vero in quacumque prudentia judicium et imperium pertineant ad eundem vel ad diversos habitus, alterius considerationis est.

6. Alius vero actus voluntatis qui ex tali judicio sequitur non semper ad unam virtutem pertinet, sed pro materiæ capacitate, et motivi seu rationis operandi variari potest. Nam in principe, verbi gratia, ex illo judicio sequi potest actus volendi ita interpretari legem, et hic potest pertinere ad justitiam legalem, quia per se ad commune bonum ordinatur. Potest etiam pertinere ad commutativam, si procedat ex

motivo non gravandi talem subditum contra æquitatem illi debitam. Et utroque modo potest intelligi quod Aristoteles ait, epiikiam esse partem justitiæ; nam in fine capituli concludit esse justitiam et non alium quemquam habitum. Quod autem ibi præfert æquum justo legali, respective intelligendum est; intelligit enim per justum legale illud quod consistit in observatione vel impositione legis, et respectu illius præfertur in particulari casu id quod in illo æquum judicatur, quia in illo vel nimis rigorosum vel injustum esset obligationem legis imponere. Absolute vero non est minus justum, legem justam ferre absolute, quam excusationem ejus per epiikiam admittere. Imo illud majorem prudentiam requirit et universalioris justitiam. At vero in subdito non potest sequi ex illo actu intellectus proprius actus justitiæ in voluntate, quia non est necessarium ut ex carentia obligationis unius legis sequatur actus justitiæ, sed sequi potest actus temperantiæ, ut si per epiikiam quis comedat carnes in die jejunii, vel quid simile. Si autem epiikia versetur in materia justitiæ, tunc actus ille poterit pertinere ad materiam justitiæ, ut per se constat. Et in universum poterit ille actus deservire generali justitiæ, et ex motivo illius fieri, si quis secundum epiikiam operetur quia per hoc non recedit a mente principis, nec ab eo quod æquum est: quomodo etiam obedientia potest ibi intercedere, vel operando secundum tacitam voluntatem superioris, vel saltem ita operando, quia tunc obedientia legis non læditur, et alia honesta ratio operandi occurrit.

7. *Epiikia tam in præceptis affirmativis quam negativis locum habet*. — Sed quæret aliquis an hæc excusatio seu cessatio obligationis et epiikia habeat locum in præceptis tantum negativis, vel etiam in affirmativis. Nam de negativis non potest esse dubium, quia cum obligent semper et pro semper, in eis est maxime necessaria hæc excusatio, et potest facile accidere occasio non servandi præceptum in tempore pro quo obligat, et ita propriissime erit excusatio, seu cessatio obligationis. At vero præcepta affirmativa non obligant pro semper, sed pro opportuno tempore; et ideo, licet pro aliquo tempore occurrat occasio in quo exequendum non sit affirmativum præceptum, non erit vera excusatio ab obligatione præcepti, nec cessatio obligationis ejus, cum ipsum non obliget pro singulis temporibus; sed dicetur potius dilatio obligationis, quia nondum occurrit occasio pro qua tale præceptum obligat. Nihilominus ta-

men æque solet epiikia attribui præceptis affirmativis ac negativis, quod recte explicatum verum quidem est. Videtur autem mihi id proprius dici (nisi sit quæstio de modo loquendi) in præceptis affirmativis quæ habent certum tempus designatum pro quo impleri debent: nam si in eodem tempore veniat non cogitatum impedimentum, habet locum propriissime epiikia. Idemque erit in quibusdam præceptis affirmativis quæ, propter negationem quam involvunt vel in qua fundantur, obligant pro semper seu ad statim moraliter, ut est præceptum restituendi et similia. In his enim quælibet dilatio per occasionem justam dici potest excusatio et epiikia. Quando autem præceptum affirmativum nec pro statim obligat, nec pro certo tempore, sed arbitrario, tunc non videtur in illa habere proprie locum excusatio vel epiikia, propter argumentum factum, quamvis lato modo interdum appelletur.

Superest ad rationes in principio positas respondere; pendent autem ex quibusdam dubiis quæ in capitibus sequentibus commodius expediuntur.

CAPUT VII.

QUANDO HABEAT LOCUM EXCUSATIO AB OBLIGATIONE LEGIS PER EPIIKIAM, SEU ÆQUITATEM.

1. In hoc capite explicandum est quid sit necessarium ut obligatio generalis legis in particulari casu cesset. Aliqui putant sufficere ut ratio legis in tali casu particulari cesset negative, id est, quod in eo non inveniatur ratio quæ legislatorem movit ad ferendam legem. Citatur pro hac sententia divus Thomas 2. 2, quæst. 147, art. 1 et 2, quia significat præceptum jejunii non obligare eos in quibus necessitas propter quam præceptum est jejuniu non invenitur. Sed immerito allegatur divus Thomas, quia ibi ad obligationem præcepti solum requirit generalem rationem quæ communiter et ut plurimum communitati conveniat; ad excusationem autem in particulari requirit causam rationabilem. Potest autem hæc opinio tribui Cajetano, t. 1 Opusc., tr. 1, quæst. 2, et Navarro in Sum., cap. 16, n. 37, qui specialiter hoc admittunt in lege quæ aliquid præcipit vel prohibet solum propter vitanda incommoda; nam, eo ipso quod in particulari non sequantur illa incommoda, dicunt cessare obligationem legis, etiamsi ex observatione legis nulla incommoda sequantur. Et Cajetanus ponit exemplum in lege prohibente

matrimonium clandestinum ante Concilium Tridentinum. Sed de hoc exemplo et de hoc genere legum quæ solum dantur propter vitanda incommoda dicam commodius in sequenti capite. Eandem sententiam tenet Panormitanus in capit. *Quoniam*, de Probation., numero 6, ubi doctrinam extendit ad legem jejunii et alias similes leges Ecclesiæ; et allegat Archid. in capit. *Utinam*, 76, d. *Post B. Thomam* (ut ait), alludens ad locum citatum D. Thomæ, illum enim Archid. adducit. Idem latius docuit Panormitanus in capit. *Quia in insulis*, de Regularib., generalem regulam constituens cessante ratione legis in particulari, cessare legis obligationem, et ita exponit caput illud. Cum enim in monasteriis monachorum existentibus in insulis requiratur ætatem annorum 18 ad professionem, *quia in insulis durior est congregatio monachorum*, ait Panormitanus ubi non fuerit durior, etiamsi monasterium sit in insula, non requiri illam ætatem; sequitur Ang. verb. *Lex*, n. 4, casu 7; inclinatur etiam Sylv. ibi q. 8 et 9, verb. *Octavo*, et Adrian., quodlib. 6, post secundam conclusionem.

2. Fundari solet hæc sententia in assertione tertia posita in quarto capite, et in omnibus juribus et rationibus quæ ad illam confirmandam adducta sunt, et in regula *Cessante causa cessat effectus*, c. *Cum cessante*, de Appellat., quæ ita potest applicari. Nam ratio legis adæquata et qualis dicto capite explicata est, est in suo genere causa adæquata obligationis legis; ergo illa cessante in quocumque casu particulari, cessat obligatio legis. Antecedens probatur, tum quia ratio legis est anima legis; ergo non minus est causa adæquata obligationis quam ipsa lex, quia sicut corpus sine anima movere aliud non potest, ita nec lex sine ratione potest subditum obligare; tum maxime quia justitia legis pendet ex ratione, et ita deficiente ratione deficit justitia, et consequenter vis obligandi; tum denique quia lex ordinari debet ad bonum commune; ergo non descendit ad particulares casus, nisi mediante influxu communis boni; sed ubi cessat ratio legis non influit commune bonum, quia ibi non participatur; ergo nec lex ibi obligat, quia deficiente influxu causæ primæ seu universalis, secunda seu particularis non operatur.

3. *Ut obligatio legis cesset, oportet deficere rationem legis non negative solum, sed aliquo modo contrarie.* — Hoc vero fundamentum debile est, ideoque prædicta sententia, nisi sano modo explicetur, defendi non potest. Dicendum

ergo est, ut obligatio generalis legis in particulari casu cesset, non satis esse quod ratio legis negative deficiat, sed necessarium esse, ut deficiat contrarie aliquo modo. Hanc doctrinam tradidit Cajetan. 2. 2, quæst. 120, et sequitur Soto, dicto articulo 8, et quæstion. 7, art. 3, vers. *Sed argues*, et l. 3, quæst. 4, art. 5, in fine; Lesdesm., 2 part., quæst. 17, art. 2, dub. 3, in fine, et quæst. 18, art. 2, dub. 12 et 14; Navar. supra; Covarr. in 4, 2 p., § 9, n. 8; Medina, de contr., quæst. 14. Et eam indicat D. Thomas dum semper exempla epiikiae ponit in casibus in quibus lex deficit contrarie, ut si redditio depositi sit ad nocendum innocenti, vel si observare præceptum non aperiendi portas civitatis noctu sit in perniciem plurium civium quos hostes persequuntur; et ita in 2. 2, quæst. 120, art. 1, requirit casum in quo legem servare sit nocivum, et subdit: *In his ergo et similibus casibus malum est sequi legem positam.* Ubi Cajetanus sic declarat rationem epiikiae, quia *sequi verba legis in quibus non oportet vitiosum est.* Et eodem modo loquitur in 1. 2, quæst. 96, art. 6; et idem sentit 2. 2, quæst. 147, art. 3, ad 2, ubi generaliter ait: *Præcipue si casus sit talis in quo legislator, si adesset, non decerneret esse legem servandam.* Et idem sumitur ex Aristotele supra, ut statim explicabo. Duas autem partes habet hæc sententia: una est affirmans cessare obligationem legis, quando ratio legis cessat contrarie, et hanc supponimus ut claram, tum a sufficienti partium enumeratione, tum quia lex obligare intendens pro tali eventu esset iniqua vel inhumana, ut magis ex puncto sequenti constabit.

4. *Probat non sufficere rationem legis negative cessare.* — Altera ergo pars est negans sufficere quod ratio legis negative cesset. Et hæc probatur primo contraria ratione, quia si solum negative ratio legis cesset, non erit malum servare legem, nec etiam erit injustum vel inhumanum ad eam servandam obligare; ergo non est cur cesset ejus obligatio. Consequentia probatur ex Aristotele dicente tunc epiikiam habere locum quando lex *peccat*, id est, peccaret et injusta esset si in tali casu obligaret; et ideo etiam dicit *epiikiam esse directionem legis*, utique ne a recto deficiat. Unde sic concluditur: sicut epiikia, ita etiam cessatio obligationis solum habet locum ubi obligatio ipsa esset contra rationem justitiæ vel debitam legislationem, si ad talem casum extenderetur; sed obligando in casu ubi tantum negative deficit ratio legis, non peccaret

lex, quia nec malum aliquod nec quidpiam inhumanum præciperet; ergo. Major patet, quia tunc nulla superest sufficiens ratio cur cesset legis obligatio: nam cessante ratione illo modo potest manere justa voluntas obligandi. Minor autem et primum antecedens patet, quia potest actus esse de se bonus etiamsi non sit necessarium alicui ad macerandam carnem, vel satisfaciendum pro peccatis, et carentia actus poterit esse bona etiamsi finis legis prohibentis illum cesset, ut abstinere a clandestina desponsatione, etc., et idem est in similibus.

5. *Multa absurda ex contraria sententia sequuntur.* — Unde argumentor secundo inductione, quia innumera sequuntur absurda, si tanta licentia detur non servandi leges in casibus particularibus, solum quia in eis negative cessat ratio legis. Sic enim in præceptis Ecclesiæ possent viri perfecti excusari a jejunio, quia non sentiunt illius necessitatem ad fines ab Ecclesia intentos. Imo fornicatio posset censi non prohibita in casu in quo evidenter cessaret ratio talis prohibitionis, ut si nullum omnino esset periculum malæ educationis proli, propter quam vitandam concubitus vagus prohibitus est. Et in materia obedientiæ possent facile similia exempla multiplicari. Unde est optima ratio a priori, quia, licet ratio legis in particulari cesset negative, semper manet aliqua universalior ratio ob quam expedit etiam tunc servari legem, tum quia esset valde contrarium bono communi, si propter illam solam causam possent leges non servari, tum etiam quia per se est honesta ratio servandi legem uniformitas partium cum toto, ubi sine incommodo servari potest.

6. Atque hinc retorquetur ratio contrariæ sententiæ. Quia, licet ratio legis cesset in hac persona quoad particularem necessitatem vel utilitatem intentam per legem, non tamen cessat quoad vim obligandi illam per legem, quia licet illa ratio tantum ut plurimum locum habeat, est sufficiens ut lex juste feratur pro omnibus qui illam servare possunt, etiamsi ratio illa in eis cesset. Quod sic declaro: nam, licet legislator advertat et prævideat rationem defecturam in aliquibus vel distincte vel tantum confuse cogitatis, nihilominus potest juste velle ut indistincte obliget omnes dum contrarium impedimentum æquitati repugnans non obstiterit: ergo ita est interpretanda voluntas legislatoris: ergo ex vi illius obligabit lex. Antecedens patet quia voluntas in illa universalitate sua nititur in alia ratione generaliori,